

DE RATIONE FORMALI AMICITIAE DEI IN HOMINE IUSTO NON AD SOLUM HABITUM CARITATIS REDUCENDA, SED PER GRATIAM SANCTIFICATEM MAXIME EXPLICANDA

En difficultatem in qua multos haesisse puto. Illud passim traditur, dicam potius, vel solo iam consensu Theologorum plane sustinetur, quod S. Thomas in Summa (2, 2, q. 23, a. 1) hac conclusione expressit: *Unde manifestum est quod caritas amicitia quaedam est hominis ad Deum.*

At vero probati auctores, ante vel postquam id docuerunt non pauci, in eam cogitationem incidunt, ut existiment ac plane fateantur etiam propria velut forma hanc amicitiam constitui ipsa radice caritatis, nimirum gratia sanctificante, illa scilicet nova natura, qua filii Dei adoptivi nominamur et sumus.

Disputata quaestio inde tunc tantum enasci posse videtur si Angelici sententiam, ut mos est, admittimus, iuxta quam virtus caritatis et gratia sanctificans re ipsa discriminantur. Qua distinctione supposita, quaestio est eiusmodi. Si gratia ex sese amicitia Dei in homine iusto proprie dici potest ac debet, quonam iam pacto verum erit, caritatem esse ipsam amicitiam, quod tamen omnes Theologi moderni uno ore fatentur? Quam vero difficile hoc dubium sese exhibeat in his auctoribus qui utrumque amplectuntur, et gratiam scilicet et caritatem esse amicitiam divinam exemplo patebit.

Itaque in medium adduco duas propositiones eminentissimi Cardinalis Mazzella, quae difficultatem ostendunt. Prior, quam ex opere *De Gratia* (1) desumo, haec est: *Gratia sanctificans, perfectissimam amicitiam constituens inter Deum et hominem, vi sua postulat intimam et personalem praesentiam Dei in anima sanctificata* (2).

(1) *De Gratia Christi. Praelectiones scholastico-dogmaticae quas habebat CAMILLUS MAZZELLA, S. R. E. Cardinalis olim in Pontif. Univ. Gregoriana Studiorum Praefectus et Theologiae Professor*, ed. 4 (Romae, 1895).

(2) l. c., *Prop.* 35. Et quamvis in propositione adducta potius supponitur quam defenditur, per gratiam constitui iustos amicos Dei, id ipsum paulo antea exposuerat auctor atque defenderat, ut cum n. 1009 aiebat: "At quid proprie importat fieri simpliciter Deo

Altero vero est *prop.* 53, quae ad virtutem Caritatis spectat (3), quaeque ita proponitur ab ipsomet auctore: *Inter Deum et hominem iustum vera, non quidem aequalitatis sed excellentiae, intercedit amicitia; quae si ex parte hominis spectetur, proprie consistit in caritate, qua Deum amore benevolo propter seipsum prosequimur: caritas igitur merito dicitur et est amicitia hominis ad Deum.* Quod ut in concordiam redigat cum dictis de Gratia sanctificante, his contentus est: "Vide, inquit, quae diximus in tract. *De Gratia* (*disp.* 5, a. 9)."

Restat igitur nobis explicandum quomodo haec duo recte copulentur inter se; quod profecto ex eodem loco allato certe praestare poterimus. Quaerit enim ibi auctor intimiorem expositionem inhabitantiae Spiritus Sancti in homine iusto. Hanc invenire putat in Angelico. Unde ait: "Respondet D. Thomas (1 p. q. 8, a. 3.): Deus dicitur esse... aliquo modo sicut obiectum operationis est in operante; quod proprium est in operationibus animae, secundum quod cognitum est in cognoscente, et desideratum in desiderante. Hoc igitur secundo modo Deus specialiter est in rationali creatura, quae cognoscit et diligit illum actu vel habitu. Et quia hoc habet rationalis creatura per gratiam, ut infra patebit (q. 12, a. 4.), dicitur esse hoc modo in Sanctis per gratiam". Qua auctoritate innixus clarissimus Mazzella recte exponit ibi (n. 1046) amicitiam iusti erga Deum per utrumque simul, nempe per gratiam et caritatem, cum ait: "Quare ut D. Thomae responsio firma consistat, notandum est quod per gratiam et caritatem manet Deus in anima ut obiectum cognitum et amatum, non utcumque, sed per modum amici intime dilecti, qui non utcumque obiective dicitur esse in amante, sed tanquam bonum intime praesens, et intra ipsum amantem existens: cum vero in hac amicitia semper habenda sit ratio divinae maiestatis (est enim, ut diximus, amicitia excellentiae); ideo ita ex vi illius manet Spiritus Sanctus in homine ut in amico, cui intime unitur, ut simul maneat ibi tanquam amicus summa reverentia et veneratione colendus; etc.". Atque in n. 1047, id ipsum confirmat cum addit: "Re quidem vera, amicitia ex se postulat unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem praesentiam et coniunctionem, quoad fieri possit, etc.".

gratum per susceptionem gratiae sanctificantis? Id importat *gratum* esse Deo, ut amicum, ita ut ratione illius doni in homine, tanquam amico Deus sibi complacet. Quod docet Conc. Trid. (*sess.* 6 cc. 4-7): nam in priori docet, quod iustificatio est "translatio ab statu filiorum Adae in statum gratiae, et adoptionis filiorum Dei", in posteriori vero loco addit, quod per hanc gratiae susceptionem fit homo ex inimico amicus Dei; et (c. 10) addit: *Per hanc gratiam nos fieri amicos Dei et domesticos eius.* Atque in n. 1010 ita rem ipsam evolvere caeperat Mazzella. "Re quidem vera, inquit, ad perfectam rationem amicitiae tria requiruntur, quae praestat gratia sanctificans." Posteaquam vero hanc propositionem concinne demonstraverat, sic ex insperato rem concludit. "Sed hic sistimus, ait, diligentiorum enim explanationem huius Deum inter et homines amicitiae per gratiam sanctificantem, tradidimus in Tractatu de Virtutibus infusis, ubi agebatur de Caritate."

(3) *De Virtutibus infusis. Praelectiones Scholastico-Dogmaticae quas habebat CAMILUS MAZZELLA*, ed. 4 (Romae, 1894).

Quae omnia planissima videntur atque sententiae Aquinatis maxime accommodata; cum praesertim his adiungimus cum ipso Cardinali Mazzella, amicitiam Dei posse inspicere adaequate vel inadaequate. Si enim adaequate eam consideramus, seu quatenus complectitur caritatem mutuam, Dei videlicet erga hominem, ac vicissim hominis erga Deum, verissimum tunc apparet eam complecti gratiam sanctificantem, quam in nobis efficit caritas erga nos in Deo existens, ex qua gratia sanctificante ita nobis indita, caritas nostra erga Deum exsurgit.

Cum autem nudam in nobis caritatis virtutem consideramus recte etiam hanc, amicitiam Dei appellabimus; est enim in nobis, ut patet, certe inadaequate, illa ipsa amicitia quam caritas quae in Deo est, seu ipse Deus, gignit in iusto per gratiam.

Sunt autem qui existimant sententiam S. Thomae initio allatam: *Unde manifestum est quod caritas amicitia quaedam est hominis ad Deum*, strictissime esse intelligendam de sola virtute caritatis quae in iusto est, ita quidem ut nunquam nomine amicitiae divinae gratia sanctificans possit venire. Inter quos eminere videtur R. P. Keller in dissertatione *De Virtute Caritatis ut Amicitia quadam divina* (4); qui quo magis excludat a proprio conceptu divinae amicitiae gratiam sanctificantem, etiam eam negat esse proximum fundamentum ipsius amicitiae hominis iusti ad Deum (5).

(4) Vide hanc dissertationem in praeclaro opere *Xenia Thomistica Divo Thomae Doctori communi Ecclesiae occasione VI Centenarii ab eius Canonizatione oblata*, vol. 2, MCMXXV, Romae in Pontificio Collegio Angelico, pp. 233-276.

(5) En verba quibus optimus P. quaestionem proponit atque propriam sententiam affirmat. "Communiter solent auctores, ait n. 23, pro huiusmodi fundamento in nobis assignare gratiam sanctificantem quae est consortium aliquod et participatio ipsius divinae naturae in nobis, per quam etiam homo est imago ac similitudo SS. Trinitatis." Tum in n. 24 arguit: "Ergo si accurate volumus assignare fundamentum amicitiae huius divinae, non gratiam sanctificantem dicemus, sed vitam divinam seu beatitudinem Dei nobis a Deo communicatam, sive perfecto modo in patria, sive per modum inchoationis in via." Tandem concludit: "Optime igitur S. Thomas pro fundamento amicitiae divinae non gratiam sanctificantem assignat, sed beatitudinem Dei nobis communicatam." Haec est sententia R. P. Keller. Duo autem in ea continentur, quorum primum est interpretatio singularis verborum Aquinatis; alterum ipsius laudatio. Huic plene assentio; interpretationem vero reicio: idque iure meritoque. Nam argumentationi qua similis interpretatio defenditur sufficere mihi hoc pronuntiatum opponere: contra factum non valent argumenta. Factum autem est eiusmodi. Ubi R. P. probare conatur S. Thomam noluisse commemorare gratiam sanctificantem, hanc manifeste S. Doctor commemorat. Nam immediate ante sententiam illam praecelaram ab omnibus receptam "Unde manifestum est quod caritas amicitia quaedam est hominis ad Deum", sic argumentatur (2. 2, p. 23, a. 1, inc.): "Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur 1 Cor. 1, 9: *Fidelis Deus per quem vocatis estis in societatem Filii eius*. Amor autem super hanc communicationem fundatus est caritas." Quaestio ergo versatur circa hanc communicationem de qua loquitur S. Thomas, utrum scilicet sit per gratiam sanctificantem, an non. R. P. Keller propter argumenta a se excogitata id negat; D. vero Angelicus affirmat. Nam ad mentem S. D. iuxta verba allata, per id reapse hanc communicationem intelligimus, per quod habetur societas cum Filio Dei iuxta Paulum; atqui S. D. intelligit hanc societatem haberi per gratiam sanctificantem: ergo S. D. affirmat illam communicationem esse per gratiam sanctificantem. Superest tantum ostendere societatem illam de qua loqui-

Ceterum doctrinam quam ex multis locis S. Thomae confirmandam assumimus ex mera hypothesis potius quam ex certa aliqua ratione reicit clarissimus auctor. Ait enim (l. c. n. 32): "Ubi supponimus rationem amicitiae convenire caritati adaequate, non caritati et gratiae sanctificanti simul iunctis, ut aliqui volebant, de quo cf. Salmanticenses *De Caritate*, disp. 1, dub. 3, § 2". Dum autem hunc locum consulo, plane animadverto Salmanticenses falsos esse, quia Suarez recensent inter eos qui amicitiam Dei in solo habitu caritatis reponunt. En aliqua ex Suarez deprompta quae ad rem attinent. In l. 6 *De Gratia* c. 13, n. 2 ait: "Hinc ergo est, ut sicut amicitia includit haec duo ex parte utriusque extremi, scilicet amari, et amare, ita etiam amicitia nostra cum Deo requirat, et charitatem, qua amamus Deum, et amari a Deo, et quoniam amor Dei est efficax, et facit bonum quod amat, ideo requiritur etiam in nobis peculiare donum, ratione cuius dicimur intrinsece amari a Deo, tanquam amici, et ipsi grati". Quae argumentatio inprimis manifeste significat per gratiam sanctificantem, et non tantum per caritatem, quae nobis inest, reddi nos amicos Dei. Nec tamen omittendum sermonem huiusmodi ita esse ad mentem D. Thomae ut clarius esse non possit, quod paulo post videbimus.

Nunc vero ante oculos ponere oportet, Suarez in toto hoc l. 6 *De Gratia* amplissime tueri sententiam S. Thomae iuxta quam gratia sanctificans aliud re ipsa est a virtute caritatis, atque in eius c. 13 difficultates nonnullas solvit quae adversus hanc sententiam militare videntur. Ad quod faciendum prudentem eiusmodi considerationem in n. 3 praemittit. "Ex hoc ergo vinculo, inquit, et connexionione caritatis, et gratiae ortum est, ut attributa et effectus huius amicitiae indifferenter caritati, et gratiae tribuantur, quamvis hoc non sit tam frequens, sicut in primo fundamento alterius sententiae proponitur." Atque occasione illius sententiae Pauli (Rom. 5, 5); *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*, ait: "Alii de caritate increata locum exponunt, quae dicitur difundi in nobis, quando ipsum Spiritum sanctum donat nobis per illud donum, quo nos caros, amicos, ac gratos sibi facit." Quod ipse non reicit, ac fundamentum habet in commentario Angelici Doctoris in illum locum Pauli.

tur Paulus, iuxta S. D. intelligi per gratiam sanctificantem. Idque est evidens ex interpretatione S. D. huius loci, in Commentario scilicet in Epistolas Pauli (1 Cor. Lect. 1, in c. 1) ubi legimus: "Per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri, ut scilicet habeatis societatem ad Christum, et in praesenti per similitudinem gratiae, secundum illud 1 Ioan. 1. Si in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est, societatem habemus cum eo ad invicem; et in futuro per participationem gloriae." Atque haec S. D. Itaque manifestum est fundamentum amicitiae cum Deo haberi per communicationem seu similitudinem gratiae, non autem ipsius caritatis. Mirandum sane sententiam oppositam traditi titulo sequendi S. D. "accuratam disserendi rationem et proprietatem sermonis" ad mentem Encyclicae Leonis XIII (l. c.). Sed haec sufficiat inuisse, non enim ad refutandum optimum Theologum scribimus de Amicitia. Oportebat autem rem non intactam relinquere ne videremur adversarii D. Thomae, cum longe aliam viam ingrediamur ad ipsius verba plenius et magis critice, et aiunt, exponenda.

Quousque autem gratiam sanctificantem defendat Suarez, constituere amicos Dei, clare patet in l. 7 *De Gratia* c. 1, n. 10. Ubi haec legimus: "Nihilominus est tertia, et vera sententia, quae in duabus sequentibus assertionibus consistit. Prima est, hominem iustum fieri gratum Deo, et amabilem illi, ut amicum per qualitatem aliquam illi inhaerentem, sive illa vocetur iustitia, sive gratia." Iterum rem attingit in n. 14 hoc pacto. "Dico secundo, ait: Forma, seu qualitas gratiae per se, et ex intrinseca natura sua habet in homine hunc formalem effectum, qui est gratum Deo illum reddere, et quantum in se est, speciali Dei amore, seu amicitia dignum." Quam sententiam ita laudatus auctor in n. 18 exponit: "Propter hoc ergo fundanda est haec assertio principaliter in gratia gratum faciente, illa enim est, quae ex vi suae intrinsecae naturae, et perfectionis essentialis tantam confert homini dignitatem, ut sit capax divinae amicitiae, et consequenter per illam constituitur in ratione obiecti amabilis a Deo vero amicitiae amore." Haec atque alia eiusmodi docuit Suarez. Itaque parum caute Salmanticenses eum inter auctores numeraverunt, qui integram rationem amicitiae divinae per solam virtutem caritatis compleri tradiderant.

Sed praeterea etiam verba illa "ut aliqui volebant" in loco proxime allato R. P. Keller, minus recta esse demonstrantur. Dicere enim videntur id ipsum decursu saeculorum esse correctum, seu illam sententiam quam modo in Suarez invenimus, prorsus iam esse antiquatam.

Verumtamen indicium probabile sane in contrarium afferre possum, quod ex Wirceburgensibus (6) desumo. Iste enim *Cursus Theologicus* in non paucis scholis, nostris ipsis temporibus, adhibitus hanc tenet propositionem (vol. 7, n. 408): "Per eandem (gratiam scilicet habitualem) efficitur amici et grati Deo." Quod quidem ibi traditur ad satisfaciendum huic quaestioni: "Quinam sint effectus formales gratiae habitualis?" Atque ex vol. 8, n. 277 satis nobis constat, iuxta ipsum auctorem, amicitiam Dei etiam caritatem complecti, cum dicat: "Charitas actualis perfecta non est amor simplicis benevolentiae, sed amicitiae." Huic propositioni immediate subiungit: Ita D. Thom... *Unde manifestum est, quod caritas amicitia quaedam est ad Deum.*

Neque hoc solum indicium nobis suppetit circa existentiam huius sententiae inter Theologos non obsoletae. Etenim praeterquam quod eam nostris diebus tradebat Cardinalis Mazzella, eandem defendit P. Beraza in opere *De Gratia* (7) cum sequentem thesim explanat: "Per gratiam habitualem efficitur formaliter amici Dei" (nn. 834-841). Ac profecto doctrinam ipsam de qua est sermo nemo facile obsoletam existimavit, qui ad haec verba operis certe erudi-

(6) RR. Patrum Societatis Iesu *Theologia Dogmatica, Polemica, Scholastica et Moralitatis praelectionibus publicis in alma Universitate Wirceburgensi accommodata*, ed. 3. *Locupletata opera et studio Patrum eiusdem Societatis* (Parisiis, 1880).

(7) *Cursus Theologicus Oniensis. Tractatus De Gratia Christi* auctore BLASIO BERAZA, S. I. in Collegio Maximo Oniensi Sacrae Theologiae Professore (Bilbao, 1916).

tissimi (n. 834) oculos vertat: "Quod autem haec amicitia, inquit Beraza, oriatur formaliter ex gratia, sicut de adoptione divina in thesi praecedenti diximus, certum quoque arbitramur."

Ac recentissime ne obsoleta sententia videatur ipsam tuetur P. Muncunill in *Tractatu De Gratia Christi* (Barcinone, 1927) his quidem verbis: "Gratia sanctificans facit homines Deo gratos et amicos, et hoc ex natura sua et physice" (nn. 690-694). Hanc autem propositionem ad rem praesentem quod spectat ita in 3 parte exponit: *Gratia sanctificans ex se et physice est causa amicitiae...* "Praeterea per gratiam sanctificantem ponuntur in homine omnia fundamenta ad veram amicitiam cum Deo; ideoque ex gratia sanctificante fit homo amicus Dei."

Atque haec tantum protulimus ut luce clarius appareat non esse obsoletam doctrinam iuxta quam ratio amicitiae de facto convenit caritati et gratiae sanctificanti simul iunctis, non autem unice virtuti caritatis adaequate. Idque in praesenti luce meridiana ostendere conabimur, videlicet, ipsissimam hanc sententiam de natura amicitiae Dei in homine iusto, esse ad mentem Angelici Praeceptoris quamvis eam S. D. totidem verbis nunquam expresserit.

Secluso quodam praeiudicio paratur via ad probationes

Sed cum praeiudicium videantur creare verba saepe allata (2. 2, q. 23 a. 1 inc.) *Unde manifestum est*, etc., supra quae sententia nobis adversans asruitur, operae pretium erit, paucis saltem quam primum ostendere non improbabiler etiam nostrae sententiae favere S. D. Quod, ut puto, statim apparet cogitanti eum tam saepe docere gratiam sanctificantem a caritate distingui, eamque tam assidue *gratiam gratum facientem* appellare.

Cui enim gratum hominem reddit gratia sanctificans nisi Deo? Atqui ex terminis reddere hominem gratum alicui est praecipuum, immediatum atque intrinsecum, quod in ipsa natura seu essentia amicitiae consideratur. Nam hoc posito statim inde velut ex fonte ea omnia profluere intelliguntur unde amicitia manifesta efficitur; inde omnes sensus amoris gratissimi existunt, quibus amici magis magisque ad invicem devinciuntur; inde etiam dimanant non tantum actus alicuius virtutis sed omnium. Nec enim una est benevolentiae virtus quae amicorum animos tam arcte coniungit, sed, "id in quo est omnis vis amicitiae, ut ait Cicero (8), voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensus." Quod tunc profecto ita esse intelligitur cum nova quaedam natura amicitiae esse in amico existimari potest. "Verum enim amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui" (9).

(8) In dialogo *de Amicitia*, c. 4.

(9) Cicero, l. c., c. 7.

Haec autem similitudo, quae vere amicos constituit, praecipue gratiae est tribuenda in homine iusto, ut Deum amicorum more ipse iustus diligere possit. Cui etiam gratiae convenit praeclara illa amicitiae definitio a Cicerone tradita cum ait: "Est autem amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio" (10).

Quae cum commemoro, non rem ipsam probare contendo, sed tantum non esse absonum supponere, D. Angelicum, qui tam assidue gratiam appellat gratum facientem, atque hoc veluti proprio caractere eam definit, non repugnare huic quasi necessariae cogitationi, vi tituli eiusmodi in mentem venienti, nimirum, gratiam gratum facientem ipsam esse nexum amicitiae hominem inter et Deum.

Liceat igitur in opera S. D. incumbere, ut quid certi hac in re dici possit ad mentem ipsius in lucem veniat.

Ergo analysim instituo locorum S. Thomae non paucorum, ut ostendam, sententiam quae asserit per gratiam sanctificantem velut per formam propriam, homines constitui amicos Dei, esse ad mentem Angelici.

Loca autem quae adducenda videntur ea sunt ex quibus nobis constat doctrina Aquinatis de natura gratiae atque eius distinctione a caritate, necnon ea in quibus ipse S. D. caritatem esse amicitiam affirmare non dubitavit. Duplex igitur est pars meae argumentationis, atque ita brevitatis gratiae rem divido. A. Loca de Gratia. B. Loca de Caritate.

A. LOCA DE GRATIA

Ut mentem S. Thomae ad rem nostram quod attinet percipiamus, ex locis in quibus naturam seu essentiam gratiae nobis exposuit *communis* Ecclesiae D., haec scrutanda esse videntur: 1) l. 2 *Sent. dist. 26*; 2) *Q. 27 de Veritate. De Gratia*; 3) l. 3 *Contra Gentiles* ec. 151-152; 4) ex *S. Theol.* 1, 2, q. 110; 5) Aliqua ex *Commentariis in Epist. S. Pauli*.

1) *Notanda ex Commentariis in l. 2 Sent. dist. 26.*

a) Quod primo in hac quaestione considerare debemus est procul dubio a, 4, *Utrum gratia sit virtus*, quo ipso solo dubio proposito, in disputationem nostram penitus immergimur.

Statuit namque S. D. distinctionem inter gratiam et virtutem, atque sententiam contrariam ita refutat: "Sed hoc non videtur conveniens, ait

(10) l. c., c. 6.

(eamdem scilicet gratiam esse virtutem), quia si virtus ab eodem haberet quod esset virtus, et quod gratum Deo redderet, oporteret quod omnis virtus hoc faceret, et cum quaedam virtutes per actus acquirantur, sequeretur secundum haeresim Pelagii, quod ex libero arbitrio homo gratus Deo efficeretur. Si autem ab alio habet quod sit virtus, et quod gratum Deo reddat, oportet quod gratia et virtus non sint omnino idem secundum rem." Ergo iuxta S. D. ita proprium est gratiae sanctificantis gratum Deo hominem reddere, ut nulla virtus, ac proinde neque caritas ex sese id efficiat; homo autem eo praesertim Deo amicus existit, quo ipsi Deo gratus efficitur. Itaque manifeste possumus concludere non repugnare doctrinae S. D. hominem iustum vere amicum Dei constitui immediate per gratiam sanctificantem.

Argumentatio plane constare videtur, atque omnia hic in sensu proprio et formali sunt accipienda.

Quod si quis alteram propositionem praemissam in dubium revocaret, eam videlicet in qua dicimus, hominem eo praesertim Deo amicum existere, quo ipsi Deo gratus efficitur, facile eum convinceremus. Nam cum tam compertum sit, ad intimiorem amicitiae rationem pertinere hoc ipsum, quod amicus amico gratus existat, esse gratum amico aut tota essentia est amicitiae, aut pars non contemnenda naturae vel essentiae ipsius.

Facile autem concedimus, vel sola auctoritate S. Thomae, amorem ipsum cum in actu, tum in habitu caritatis, ad ipsam essentiam amicitiae attingere, eamque complere.

Ast dum propriissimam amicitiae radicem unde ipsius ceterae vel partes vel proprietates dimanant mente versamus, nulla probabili coniectura possumus ab hoc praescindere, quod amicus gratus subsistat amico.

Atque hucusque dicta magis confirmo ex responsione ad 3, S. D. quae sic se habet: "Bonitas quam virtus habenti confert, est bonitas perfectionis in comparatione ad opus, sed gratia confert animae perfectionem in quodam divino esse, et non solum respectu operis, secundum quod quodammodo gratiam habentes deiformes constituuntur, propter quod sicut filii, Deo grati dicuntur." His auditis a S. D. quonam iure reprehenderet quis hanc sententiam vel recitantem vel imitantem, si eam modo simillimo concluderet, paululum immutato verbo, ita ut diceret: gratiam habentes deiformes constituuntur, propter quod sicut amici, Deo grati dicuntur?

b) Etiam necessaria quadam consecutione ad praesentem thesim nos revocat a. 1 ipsius *dist.* 26. Inquirebat enim S. D., *Utrum gratia sit aliquid creatum in anima*, atque ad secundam difficultatem quam sibi obiecerat in hunc modum respondit: "Illa est simpliciter et perfecta dilectio (nempe in Deo) quasi amicitiae similis, qua non tantum diligit creaturam sicut artifex opus, sed etiam quadam amicabili societate, sicut amicus amicum, in quantum

trahit eas in societatem suae fruitionis, ut in hoc eorum sit gloria et beatitudo, quo Deus beatus est, et haec est dilectio qua sanctos diligit, quae antonomastice dilectio dicitur, et ideo etiam effectus huiusmodi dilectionis antonomastice gratia vocatur." Quae verba nostrae propositioni congruere, nemo est qui non possit videre. Mente enim pertractat S. D. amicitiam de qua est sermo ut a Deo dimanat. Affirmat autem amicitiam in ipso Deo inspectam, perfectissimam esse eius erga hominem dilectionem. Sed dum hoc decernit, nimirum, Deum diligere hominem sicut amicus diligit amicum, Dei amicum intelligit effici seu constitui tantae dilectionis efficacia. Atqui illa dilectio amicabilis Dei efficit in homine gratiam sanctificantem, ut ex integro articulo patescit. In c. enim inquit: "Si enim pro ipsa divina dilectione gratia accipiatur, patet quod aliquem effectum eius in anima ponit... Unde per hoc quod Deus dicitur aliquem diligere significatur effectus divinae dilectionis in dilecto esse." Atque, ad 1: "Cum aliquis, inquit, Deo gratus vel acceptus dicitur, significatur aliquid in ipso, quod ex Dei acceptance causatur." Et alia eiusmodi.

Itaque sola gratia sanctificante in homine intellecta, hunc intelligimus amicum Dei esse; ipsum enim Deus ut amicum amat, etiam mente praecisa in homine eius caritate, qua profecto gratia supposita homo iustus etiam Deum redamabit.

Atque iterum possumus arguere manifeste vestigia S. Thomae prementes. Cum aliquis Deo gratus vel acceptus ut amicus dicitur, aliquid in ipso significatur quod ex Dei acceptance causatur: hoc autem est gratia sanctificans; ergo haec gratia amicitiam Dei in homine constituit.

c) Rursus in a. 3 eiusdem distinctionis 26 dum quaerit, *Utrum gratia sit in potentia vel anima, sicut in subiecto*, quaedam habet S. D., quae ita iuvant ut silentio praeteriri non possint. Ait enim, ad 2, "Sicut potentia non habet quod sit principium talis operationis, nisi secundum quod manat a principiis talis essentiae, ita etiam perfectio potentiae habet quod informat actum ex virtute gratiae perficientis ipsam essentiam, et ideo gratia non tantum dicitur gratificans essentiam animae, sed etiam opus gratum reddens, non quidem sicut proximum informans, sed sicut primum, quod naturam in altius esse elevat."

Ex quibus verbis patet iuxta S. D. vel ipsam caritatem a gratia mutuare quod sit grata Deo. Sensus est manifestus cum ait: "Et ideo gratia non tantum dicitur gratificans essentiam animae, sed etiam opus gratum reddens." Agitur enim de opere potentialium etiam voluntatis, immo praecipue voluntatis, ut constat ex ipso articuli scopo. Quibus admissis redit eadem semper vi ratiocinatio, quam non semel ex aliis articulis huius tractationis nullo negotio hausimus. Licet enim vero in uno tantum caritatis amore amicitiam Dei in homine iusto contineri diceremus, quo tandem pacto amor amicitiam consti-

tueret, nisi eo vel maxime quod gratus Deo homo existeret? Ac re quidem vera, illud essentia est amicitiae, vel potius, flos eius et flagrans odor, unde tota amicitiae vis esse intelligitur, quod gratum reddit amicum, quod profecto in homine erga Deum, iustorum summum amicum, gratiam, non virtutem caritatis nude sumptam, esse apertissimis verbis S. D. hoc in loco profitetur.

Hanc autem expositionem confirmare possumus, sententia S. D. qua finera imponit responsioni, ad 3: "Sed ex gratia, ait, voluntas et liberum arbitrium habet ut actum meritorium educere possit." Aliquem enim gratum alicui reddere, atque erga ipsum meritum contrahere certam proportionem servare ad invicem necesse est. Utrumque autem amicitiae eodem ferme modo respondere potest. Amicus igitur Dei et gratus ipsi est, et meritum erga maximum amicum facile contrahit; utrumque vero per gratiam sanctificantem haberi ex verbis Angelici D. infertur.

d) Eundem conceptum gratiae sanctificantis ut a caritate condistinctae praebet S. D. in a. 5 dum nomina quibus gratia habitualis nuncupatur per effectus unius eiusdemque gratiae explicat. Hac enim ratione distinguit gratiam operantem a cooperante: "Uno modo, inquit, ut per gratiam operantem significetur ipsa gratia prout esse divinum in anima operatur, secundum quod gratum facit habentem, et per gratiam cooperantem significetur ipsa gratia secundum quod opus meritorium causat, prout opus hominis gratum reddit." Hucusque S. D., quae omnia dicta in praecedentibus tumentur, ac clarissima reddunt.

Ne quis vero tribuat actui vel habitui alicuius virtutis quod proprius ad gratiam pertinet, in hunc modum, ad 2, ratiocinatur: "Unde per hunc modum gratia dicitur operans, quia formaliter hominem Deo gratum facit."

Quod iterum strictiori argumentatione urget paulo post, scilicet, ad 3, cum addit S. D.: "Si accipiatur gratia operans secundum primam acceptionem" (nimirum, secundum ea quae dixit in corpore ipsius articuli sub illa particula, *Uno modo*, quae quidem immediate ante adduxi), "tunc planum est quod affectus quos operatur formaliter, ipsa sola operatur, sicut enim sola albedo formaliter facit album parietem, ita sola gratia formaliter gratum facit." Applicationem sententiae S. D. ad nostram propositionem magis magisque confirmandam non iteramus, quia lectori facile patebit.

Est tamen et alia via ad ipsum terminum demonstrationis perveniendi, quam hic ingredi possumus, ex hoc ipso loco gradum facientes.

Nam statim post verba modo allata adiungit S. D.: "Sed secundum aliam acceptionem verum est quod ipse motus voluntatis non est a gratia sine libero arbitrio, et tamen quia se habet gratia ut principale, quia inclinatur in talem actum per modum cuiusdam naturae, ideo ipsa sola talem actum dicitur operari, non quod sine libero arbitrio operetur." Atque haec S. Thomas.

Unde hoc mihi licet instituere argumentum: Gratia gratum faciens se habet ut principale agens prae voluntate, ac proinde prae habitu in voluntate existente, ad ipsum motum vel actum caritatis; atqui forma in qua consistit amicitia inter iustum et Deum sine dubio est principale agens actum caritatis. Itaque forma praecipua amicitiae iusti erga Deum non est habitus caritatis, sed ipsa gratia sanctificans. Quam evidentem argumentationem ita explanare possumus.

Non est dubium, quin amicitia Dei praecipue in re aliqua permanente consistere debeat, unde homo iustus denominationem amici perenniter rectissimeque suscipiat.

Inspiciamus igitur rem totam ab actu amicitiae incipientes, qui in actu amoris facile consistet. Per ipsum actum recte dicimus hominem se ostendere amicum Dei. Amicitia vero post actum transactum perseverare intelligitur. Quaerimus ergo utrum per habitum tantum caritatis ipsa perseveret, an etiam et potiore iure per habitum gratiae sanctificantis. Ex responsione autem S. D. modo allata postremum est affirmandum.

Etenim amicitia praecipue perseverat per illud quod est principale agens in opere vel actu amicitiae; sed iuxta S. D. gratia ipsa, non habitus vel potentia, est principale agens actus amicitiae; ipsa ergo maxime est amicitia (11).

e) Quae hucusque protulimus magis adhuc perspicua redduntur atque illustrantur his quae tradit S. D. a. 6 eiusdem tractationis. Hanc quaestionem solvendam sibi proponit in ipso, *Utrum gratia sit multiplex in anima*. Respondet autem non multiplicari sicut multiplicantur virtutes, quod efficaci hac argumentatione convincit: "Sed hoc non potest stare, inquit, quia ad actum meritorium non requiritur nisi duo, unum est ut agens actum, dignus vita aeterna habeatur, et ad hoc sufficit gratia, quae est in essentia animae, animam gratificans." Ex quibus verbis argumentatio eiusmodi sponte sua fluit.

Illud vel maxime amicitiam Dei in homine iusto constituit, quo homo dignus est vita aeterna, seu perfrui bono Dei eiusque beatitudine, nimirum illo ipso quo dignus redditur ut a Deo eo benevolentiae amore diligatur; ex hoc autem loco luce clarius apparet S. D. eiusmodi effectum referre seu tribuere immediate non alicui actioni aut virtuti sed gratiae sanctificantis, quam vel hoc solo titulo ab omni virtute distinguit: necesse est igitur si S. D. verissime sequi profiteamur, amicitiam hominis erga Deum gratia sanctificante

(11) Hinc etiam valde alienum putamus a recta interpretatione Angelici D. sermonem quem R. P. Keller (l. c., n. 24) nobis praebet quasi immediate evidentem, perinde ac si esset ipsissima doctrina S. D. "Gratia vero sanctificans, inquit, non confert nobis vitam divinam in actu secundo, sed in actu primo tantum, cum non sit habitus operativus, sed entitativus dans nobis esse spirituale ac divinum, non agere tale." Immo vero cum S. D. dicere debemus gratiam conferre "agere tale". Nam ut verbis ipsius S. D. iterum utar, "se habet gratia ut principale, quia inclinatur in talem actum per modum cuiusdam naturae, ideo ipsa sola talem actum (scilicet vitae supernaturalis) dicitur operari".

constitutam esse defendere. Sed satis superque in hanc *dist.* 26 incubui: sunt praeterea et alia quamplurima loca in operibus S. Thomae, ad quae perscrutanda iam propero, e quibus id ipsum manifestissime eruemus.

2) *Conferuntur aliqua ex q. De Gratia, 27 inter qq. disputatas De Veritate*

Ex testimoniis hucusque recitatis nemo non videt fore ut ubicumque S. Thomas de gratia sanctificante verba faciat, multa inde momenta rationum depromi possint ad nostram sententiam solidius sustinendam. Otiosum igitur arbitrabitur fortasse quispiam, alia non pauca eiusmodi testimonia S. D. percurrere; otiosum autem non erit cum amplitudo doctrinae et sapientiae Angelici tanta sit, ut magni quiddam et novi semper exspectare liceat vel in ipsis locis in quibus iterum et saepius res ipsas pertractat. Ideoque ex q. 27 *De Veritate*, pauca quae ad meum institutum apta esse videntur breviter seligo atque decerpo.

a) Itaque ad rem facit huius quaestionis a. 2, in quo S. D. principium nobis praebet, unde demonstratur sententia quam tuemur.

Nam, a) in *Sed contra*, 3, ait: "Gratia semper est in suo actu, quia semper facit hominem gratum, caritas vero non semper est in suo actu: non enim semper habens caritatem actu diligit, ergo caritas non est gratia."

Haec, inquam, argumentatio non incommode rei nostrae aptabitur, si hoc pacto ipsam imitamur ac dicimus: Gratia semper est in suo actu; quia semper facit hominem Deo amicum; caritas vero non semper est in suo actu: ergo non est tota ratio amicitiae huius, immo non praebet nisi actus ipsius. Non igitur est propria illa forma quae semper tribuit iusto denominationem amici Dei.

β) Rursus in eodem articulo, ad 4 *Praeterea*, clarius si fieri potest id ipsum invenimus. Probat enim S. D. distinctionem quae inter gratiam et caritatem intercedit. Postquam autem concluderat "ergo caritas proprie est secundum quam diligentes sumus" hoc modo argumentationem prosequitur. "Sed non secundum hoc, ait, sumus accepti quod sumus diligentes, sed potius e converso." Atqui sumus amici secundum illud quo sumus accepti. Quid evidentius? Itaque iuxta principia de gratia sanctificante a S. Doctore tradita proprius per gratiam quam per caritatem homo iustus constituitur amicus Dei.

γ) Atque in corpore ipsius articuli tota vis ac nervus argumentorum hoc maxime evincit, oportere scilicet, ut verbis utar S. Thomae, "Quod homini detur aliquod, non solum per quod operetur ad finem, vel per quod inclinetur eius appetitus ad finem illum, sed per quod ipsa natura hominis elevetur ad quamdam dignitatem, secundum quam talis finis, sit ei competens,

et ad hoc datur gratia”, unde cum pseudo Dionysio merito subiungit: “Non potest aliquis habere spiritualem operationem, nisi prius esse spirituale accipiat.” Hoc autem cum legis nonne rectissime intelliges, si in hunc modum ad rem nostram applicas, atque arguis: Non potest aliquis habere spiritualem operationem veri amici erga Deum nisi prius esse spirituale accipiat divinae amicitiae?

δ) Adhuc modus loquendi S. D. ad 1, atque, ad 5, valde suadet ipsam propositionem nostram.

Cum enim primo sibi obiecisset: “Gratia gratum faciens in nobis est illud Dei donum, per quod accepti sumus ei: hoc autem est per caritatem. Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*. Ergo gratia gratum faciens est idem quod caritas”, haec est eius responsio, ad 1., “Deus diligit diligentes se, non tamen ita quod dilectio se diligentium sit ratio, quare ipse diliget: sed potius e converso”. Quod quidem dum asserit manifeste negat nos esse acceptos Deo per caritatem ut a gratia distinguitur.

Ac rursus, ad 5: “Similiter, inquit, quamvis prius sit divina dilectio, qua Deus nos diligit dilectione, qua nos eum diligimus, tamen de ratione caritatis per prius est quod Deum faciat nobis carum quam quod nos Deo caros faciat: primum enim pertinet ad dilectionem in quantum est dilectio, non autem secundum”. Ubi S. D. legenti clare patet hoc postremum, seu facere nos Deo caros, pertinere ad rationem gratiae: atqui hoc ipsum maxime pertinet ad rationem amicitiae: ergo ratio amicitiae Dei maxime fundatur in ipsa gratia per quam ceu formam Deo cari appellamur et sumus. Hoc autem totum inde evenit quod iuxta S. D. nullus est effectus in nobis magis immediatus divinae dilectionis qua nos diligit Deus, quam gratia sanctificans, ut iam vidimus, ac repetit S. D. in q. 28 *De Iustificatione*, a. 2, in c. cum ait: “Huius autem amoris effectus est donum gratiae gratum facientis, ut in quaestione de Gratia dictum est”. Sed haec sufficiant ex a. 2 deprompta.

b) Iterantur autem auctoritates, e quibus facili tramite ad sententiam quam tueor pervenitur, in a. 5. In quo auctor tradit unam tantum esse in quolibet iusto gratiam gratum facientem, quod dum exponit nihilo abesse videtur ab explicatione divinae amicitiae quam propugnamus.

a) Nam, in c.: “Habitus, inquit, in anima diversificantur in ordine ad diversos actus, ipsi autem actus non sunt ratio acceptationis divinae, sed prius homo acceptatur a Deo, deinde actus eius, ut habet, Gen. 4, *Respexit Deus ad Abel, et ad munera eius*: unde illud donum, quod Deus tribuit his, quos acceptat in suum regnum et gloriam, praesupponitur ad perfectiones vel habitus, quibus humani actus perficiuntur, ut sint digni acceptari a Deo, et sic oportet habitum gratiae indivisum manere, utpote praecedentem ea, quibus fit distinctio habituum in anima”. Neque hinc ad nostrum scopum

aliquam argumentationem conficere necesse est, cum ex his verbis ad quaestionem de divina amicitia transitus tam sit immediatus ut paulo ante vidimus (12).

β) Atque, ad 2, addit auctor: "Et sic unus et idem habitus gratiae est qui informat animam et elicit actum interiorem et exteriorem, et quodammodo perseverantiam facit, in quantum tentationibus resistit." Quae omnia licet immediate dicantur a S. D. ut intelligatur, valorem et meritum actuum, ut digni vita aeterna reputentur, ex gratia oriri; quis non videat eodem iure vel etiam potiore ad ipsos actus extendi, ut eos ad divinam amicitiam pertinere capiatur?

γ) Quod item roboratur sententia S. D. de gratia forma virtutum in eodem loco explicata. Ad 5, enim ait: "Gratia non dicitur forma virtutum quasi pars essentialis virtutum... sed dicitur forma virtutum in quantum formaliter actum virtutis complet." Atque rationem absolvit his quidem verbis: "Et sic, gratia dicitur esse forma et caritatis et aliarum virtutum." Quam sententiam repetit hoc pacto in a. 6, ubi: "Gratia, inquit, praeparat voluntatem mediante caritate cuius gratia est forma." Cum igitur dicere possimus ad mentem D. Thomae, gratiam esse formam caritatis, tum ad meritum quod attinet, tum ad amicitiam quod expectat, manifestum est amicitiam divinam per gratiam constitui, neque adaequate perfici sola ratione caritatis.

3) *Arguitur ex l. 3 Contra Gentiles cc. 151-152*

Cum etiam in hoc praeclaro opere comparatio inter gratiam et caritatem profunde et subtiliter a S. D. instituatur, ut curiosius rem de amicitia Dei investigemus ab hoc opere abstinere non possumus.

a) Igitur S. D., ut saepe alias, etiam hic c. 151 defendit propriam rationem gratiae ut a caritate distinctae, qua occasione ait: "Dicitur enim aliquis alicui esse gratus, quia est ei dilectus; unde et qui ab aliquo diligitur dicitur gratiam eius habere. Est autem de ratione dilectionis, ut diligens bonum velit ei quem diligit, et operetur, et quidem Deus bona vult et operatur circa omnem

(12) Haec dum mente versamus occurrunt nobis verba clarissimi P. Keller (l. c. n. 24) quae minus cohaerere videntur huic loco S. D. Ait enim cl. P.: "Ergo si accurate volumus assignare fundamentum amicitiae huius divinae, non gratiam sanctificantem dicemus, sed vitam divinam seu beatitudinem Dei nobis a Deo communicatam sive perfecto modo in patria sive per modum inchoationis in via." Angelicus autem hic totam rationem acceptationis illius vitae ac proinde amicitiae quae per illam exercetur ad unam gratiam sanctificantem refert, cum concludit. "Unde illud donum, quod Deus tribuit his, quos acceptat in sum regnum et gloriam, praesupponitur ad perfectiones vel habitus, quibus humani actus perficiuntur, ut sint digni acceptari a Deo." Ergo illa vita divina de qua est sermo apud R. P. Keller, quatenus divina est intrinsece importat gratiam, quae digna est acceptari a Deo. Ac proinde merito cum S. Thoma, fundamentum intrinsecum amicitiae divinae assignamus gratiam.

creaturam." Et post pauca addit ad rem nostram: "Hoc igitur auxilium convenienter dicitur gratia, non solum quia gratis datur, ut ostensum est, sed etiam quia hoc auxilio homo, speciali quadam praerogativa, redditur Deo gratus."

Non piget tam multa S. D. testimonia transcribere quia et naturam gratiae divinae miro modo amplificant atque exornant, et ad propositum nostrum manifeste faciunt. Quo enim alio hic indigemus ut invictum argumentum inde promamus, nisi ut haec legentes ad propositionem nostram mentem convertamus? Cum enim postrema verba magni Aquinatis audimus, in quibus ait, homo speciali quadam praerogativa redditur Deo gratus, nonne eundem sensum nobis referunt ac si diceret D. Thomas, homo redditur Deo amicus? "Dicitur enim aliquis alicui esse gratus, quia est ei dilectus; unde et qui ab aliquo diligitur, dicitur gratiam eius habere."

b) In altero vero capite eiusdem libri, nimirum c. 152, hoc defendendum assumit S. D., quod gratia, nempe gratum faciens, efficit in nobis dilectionem Dei. Quomodo autem haec sententia ad nostrum respiciat scopum, seu ut melius dicam, ad intimiora rei nostrae viscera pertingat, ex probatione ab auctore apposita facile constabit. Quandoquidem, "Gratia, inquit, gratum faciens est in homine divinae dilectionis effectus. Proprius autem divinae dilectionis effectus in homine esse videtur quod Deum diligit: hoc enim est principium in intentione diligentis ut a dilecto redametur; ad hoc enim praecipue studium diligentis tendit ut ad suum amore dilectum attrahat, et nisi hoc accidat, oportet dilectionem dissolvi. Igitur ex gratia gratum faciente hoc in homine consequitur quod Deum diligit." Quibus perlectis nemini dubium esse potest, quin hic S. D. quaestionem de constitutivo amicitiae divinae verset implicite. In his namque vox amicitiae profecto deest, res autem ipsius maxime agitur. Porro illa consecutio a dilectione Dei ad dilectionem hominis, quid aliud est, aut appellari potest, quam ipsemet amicitiae nexus?

Attamen, cum ita exigatur ab homine dilectio a dilectione quae supponitur in Deo, ut sine eiusmodi dilectione ab homine praestita nec summa illa dilectio Dei erga ipsum possit subsistere, suspicabitur fortasse quispiam non leve hinc praeiudicium enasci contra nostram interpretationem S. D. Quia illa dilectio seu caritas in homine sine qua neque caritas Dei erga ipsum consistere potest, quaeque est principaliter intenta ab ipsa Dei dilectione, nonne amicitiam Dei in homine plene et per se constituit? Manifesta sane obiectio. Sed quo evidentius difficultas proponitur, eo facilius solvitur in re clara, quam etiam illustrat. Quod in casu nostro plane accidit.

Profecto, argumentum ac verba fere singula S. D. in hoc loco, praeclare commonstrant, caritatem amicitiam hominis erga Deum complere ac quodammodo constituere, maxime ut est in actu; non autem probant, essentiam eius-

dem amicitiae esse vel solam vel praecipue caritatem. Contrarium enim verba ipsa adducta supponunt et declarant.

Nam, aliud est, rem ad aliquid plene constituendum requiri, aliud, toto caelo distinctum, eius esse adaequatam essentiam seu rationem formalem. Omnia quae essentiam sponte naturae consequuntur, sunt hac supposita necessaria ad eius rationem complendam, nec sine ipsis essentia recte perseverare intelligitur. Sic itaque in re praesenti. Gratia gratum faciens est essentia vel radix proxima in homine amicitiae Dei, sicut est essentia iustitiae ac sanctitatis ipsius, quin tamen valeant sine caritate aut sanctitas, aut iustitia, aut amicitia Dei in homine subsistere. Hanc considerationem et circumspectionem in interpretando S. D., ipsa eius verba nobis suggerunt; atque illa in primis quae contraria in hoc loco prima fronte videri poterant, quaeque sic se habent: "Ad hoc enim praecipue studium diligentis tendit ut ad sui dilectionem dilectum attrahat, et nisi hoc accidat oportet dilectionem dissolvi." Per haec enim quasi manu ducimur ad distinguendum inter ea quae necessaria sunt ut homo plene sit constitutus in amicitiae divinae statu felicissimo, atque ea sine quibus ne cogitari quidem recte possit, hominem Dei esse amicum.

Etenim, diligens in re praesenti est Deus, cuius caritas erga hominem quem iustum reddit, gratiam in eius animam ingerit, ipsam animam dignam reddens tantae Dei dignationis. Qua dignitate homo donatus, etiam mente praecisa caritate, iam est iustus et sanctus, atque eodem titulo Deo gratus et acceptus ut amicus. Verumtamen in hac collatione gratiae gratum facientis, ut verbis utar S. D., "praecipue studium diligentis tendit ut ad sui amorem dilectum attrahat"; ex quo fit ut habitus virtutum, praesertim vero caritatis, simul cum gratia infundantur, propterea quod gratia, perinde ac omnis natura creata est propter operationem; quamquam natura ipsa, non actus ad quos nata esse intelligitur, constituat essentiam uniuscuiusque creaturae. Ad hunc igitur modum, gratia potius quam caritas est ratio formalis, etiam ad mentem S. Thomae, qua homo propriissime est iustus, sanctus et amicus Dei.

Quod si non esset dilectio vel caritas in homine, re quidem vera opereretur, ut ait S. D., dilectionem (scilicet Dei) dissolvi, quandoquidem ubi non sunt opera, non debet esse natura, et ubi non sunt actus amicitiae quando esse debent, ipsa amicitia dissolvitur. Sed de hac ratione satis.

Est tamen in hoc loco alia argumentatio S. D. quam praeterire non possumus, cum in ea in illam ipsam vocem incidamus, amici nempe, quam in praecedentibus desiderabamus. Ait enim auctor noster: "Non potest homo ad hunc finem (videlicet, visionis Dei per essentiam) perducere, nisi uniatur Deo per conformitatem voluntatis, qui est proprius effectus dilectionis; nam amicorum proprium est idem velle et nolle, et de eisdem gaudere et dolere." Haec quidem Angelicus, quae dum diligentissime undique considero, id mihi

sub oculos ponunt, nimirum S. D. supponere hominem Dei amicum constitui per ipsam gratiam.

Nam profecto arguit gratiam efficere caritatem, quia amicorum idem est velle et nolle. Quae ratiocinatio eadem prorsus est ac si diceret: Gratia est amicitia; atqui amicitia efficit idem velle et nolle; ergo gratia efficit idem velle et nolle seu caritatem.

Mirabitur fortasse quispiam tam facile in S. D. inveniri sententias quae includere videntur thesim quam ipse nunquam evolvit aut expressis terminis proposuit. Sed cur ipse non proposuerit, nescio; unum hoc scio, thesim ipsam valde esse consonam eius doctrinae, ut etiam contraria videatur S. D. repugnare.

4) *Argumenta ex 1, 2, q. 110, desumpta*

Venio nunc ad locum ubi de natura gratiae ita egit S. Thomas, ut nulli melius, ad quaestionem, inquam, *Summae Theologicae*, quae inscribitur, *De Gratia Dei quantum ad eius essentiam*.

a) Itaque in huius q. a. 1, in c. legimus: "Alia autem est dilectio specialis (Dei) secundum quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturae, ad participationem divini boni": est autem id quo creatura in hunc modum trahitur gratia gratum faciens, ex quo recte iam concludi posse videtur, hominem, sicut per gratiam redditur particeps divini boni, ita etiam per ipsam Deo amicitia divina devinciri.

Sed sunt alia clariora ut in responsione, ad 1. En praecipua verba: "Etiam in hoc quod dicitur aliquis habere gratiam hominis, intelligitur in aliquo esse aliquid quod sit homini gratum, sicut in hoc quod dicitur aliquis gratiam Dei habere". Iam vero, in utroque extremo huius comparationis, gratia idem valet atque amicitia; in altero autem est gratia Dei ut a caritate distincta; dicendum igitur ad mentem S. D., gratiam esse amicitiam Dei in homine iusto.

b) Postrema sententia, in c. a. 3, haec est: "Ita virtutes infusae perficiunt hominem ad ambulandum congruenter lumini gratiae." Ex qua, non improbabili coniectura concludere possumus, alienum esse a doctrina S. D. affirmare virtutem caritatis ut a gratia distinguitur, ante operationem vel praecisionem facta ab operatione, homini aliquam denominationem intrinsicam conferre, quam homo non accipiat praecipue a gratia. Hoc est, virtutes etiam infusae, totae quantae sunt, integre ad operationem exercendam natae sunt; denominationes vero quae immediate subiectum afficiunt in ordine

supernaturali, non per virtutes sed per gratiam velut per formam propriam haberi.

Etiam postrema verba huius articuli, ad 3, non nihil iuvant ad nostram sententiam stabiliendam. Sunt autem haec: "Nec tamen (gratia) est idem quod virtus: sed habitudo quaedam quae praesupponitur virtutibus infusis, sicut earum principium et radix." Ex quibus verbis cum de amicitia cogito non possum non percipere fundamentum immediatum amicitiae iusti cum Deo esse ipsam gratiam sanctificantem, quae radix est omnium virtutum quibus haec amicitia vel exercetur vel manifestatur, et quasi foras erumpit.

5) *Indicia ex Commentariis in Epistolas S. Pauli*

Nunc autem breviter pauca excerpo ex multis quae ad rem faciunt in Commentariis S. Thomae in D. Paulum, quae etiam nobis viam explanabunt ad alteram partem disputationis. In his vero non raro venit doctrina S. D. de natura gratiae, at cum simul frequenter transitus fiat a gratia ad caritatem, vel e converso, cumque apud Paulum non satis appareat distinctio inter gratiam et caritatem, difficulter cernuntur limites earumdem rerum ac vocum (13).

a) Ac primo quidem placet afferre locum in quo planissime sententia S. Thomae de natura gratiae sanctificantis ante oculos ponitur, secundum proprium conceptum gratiae gratum facientis. Est ex *Lect. 2* in c. 1 *ad Eph.* seu commentarium ad verba Pauli (Eph. 1, 6) *Gratificavit nos*. "Circa quod

(13) In eiusmodi locis difficultas genuinae interpretationis ex tribus pendet praecipue.

1) Ex perpetua connexionione quae caritatem inter et gratiam ex natura rei intercedit, unde saepenumero quae ad gratiam pertinent ad caritatem licet referre. 2) Ex causa immediata gratiae quae dilectio Dei est seu caritas in Deo subsistens, ex quo fit quod caritas Dei, gratiam exprimat quam in homine operatur. 3) Ex probabilitate sententiae contrariae, illius nempe quae asserit identitatem gratiae ac caritatis. Hinc enim in quaestionibus de Caritate evenire poterit, ut ex professo nolit S. D. quaestiones miscere ac multiplicare, cum iam abunde distinctionem statuerit de Gratia loquendo; ac ne protrahatur propositio quasi verbo permittere illam identitatem quam negat, ingenio lectoris aliqua relinquens explicanda, ut propriae sententiae omnia cohaereant, quae etiam concordant cum sententia sibi adversante. Ex quo necessitas explicandi quousque veritas pateat in eius propositionibus de Caritate iuxta diversas sententias, ac praesertim iuxta sententiam de distinctione inter gratiam et caritatem certo tunc temporis non communem. Exemplo res patebit, illudque desumo ex nota sententia (2. 2, q. 23, a. 1, in c.): *Unde manifestum est quod caritas amicitia quaedam est hominis ad Deum*. In qua 1) connexio inter caritatem et gratiam permittit prorsus ut propositio non neget gratiam pertinere ad intrinsecam rationem ipsius amicitiae quae per caritatem possidetur vel exercetur. 2) Cum gratia dimanet a caritate Dei ut virtutem caritatis in homine efficiat, plenior sensum prae se fert propositio, quoniam verum est, caritatem ut in Deo simul et in iusto est, integrum vinculum amicitiae comprehendere a quo certe gratia non abest. 3) Tandem ipsa propositio optime concinnata, facta hypothese identitatis inter gratiam et caritatem, recte permittit intelligere caritatem esse integrum amicitiae vinculum. In hac enim hypothese ipsa sola caritas respondet in homine caritati quae est in Deo erga ipsum. Sed de hoc latius in sequentibus.

sciendum est, ait S. D., quod idem est aliquid esse gratum alicui et esse dilectum ei. Ille enim est mihi gratus quem diligo." Atque iterum paulo inferius: "Unde hic Apostolus dicit; *Gratificavit*, id est, gratos fecit, quod simus digni dilectione sua." Quibus dictis, enuntians distinctionem inter gratiam gratis datam et gratiam gratum facientem rursus de hac altera ait: "Quae nos facit Deo gratos et acceptos, de qua dicitur hic." Neque his contentus rem cumulat haec addens: "Christus per duo *nos gratificavit*. Sunt enim duo in nobis quae repugnant gratificationi divinae, scilicet peccati macula et paenae noxa. Et sicut mors repugnat vitae, ita peccatum repugnat iustitiae: ita ut per hoc elongati a Dei similitudine, Deo grati non essemus, Sed per Christum *nos gratificavit*." Quis autem hoc dum legit non ita intellegat, ut sibi dicat, id ipsum valere ac per Christum nos redditos esse amicos Dei, nempe per gratiam nobis a Christo collatam?

b) At simul in eodem commentario (*Lect. 5 in c. 1 ad Eph.*) quaedam inveniuntur quae explicatione indigent ne videatur S. D. sibimetipsi contrarius in eadem quaestione de natura gratiae. Commentatur enim verba Pauli (v. 14), *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis vestrae*, in hunc modum: "Quantum vero, ait, ad beneficium iustificationis dicit (Paulus), *Signati estis*. Et hoc *Per Spiritum sanctum, qui datus est vobis*, de quo dicit tria, scilicet, quod est signum, et quod est spiritus promissionis, et quod est pignus hereditatis. Signum quidem est, in quantum per eum infunditur caritas in cordibus nostris, qua distinguimur ab his, qui non sunt filii Dei, et quantum ad hoc dicit, *Signati estis*, id est, divisi a grege diaboli." Et paulo inferius: "Ergo tunc Spiritus sanctus datur alicui quando efficitur amator Dei et proximi." Ac rursus: "Signum ergo distinctionis est caritas quae est a Spiritu sancto."

Quae magis mihi miranda videntur cum immediate antea S. D. verbis Pauli nomen gratiae induxerit. Ac mirandum sane omnia hic referri ad unam caritatem neque gratiam nuncupari. Porro loquitur S. D. de iustificatione, quae in ipsius sententia per gratiam efficitur (I. 2, q. 113, a. 2), de promissione vitae aeternae quam gratia continet, de pignore hereditatis quod propriissime est gratia; immo vero etiam illam consecutionem Pauli commemorat, nimirum, *si filii et heredes*, quae tota gratiam spirat, ipsum autem nomen gratiae tacet, uno caritatis nomine contentus.

c) Idem quasi dubium nobis exhibet commentarium in verba Pauli (Rom. 5, 5), *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Nam, "Caritas Dei, ait, dupliciter accipi potest. Uno modo pro caritate qua diligit nos Deus. *Hier. 31 Caritate perpetua dilexi te*. Alio modo potest dici caritas Dei, qua nos Deum diligimus, infra 8,

Certus sum, quod neque mors neque vita separabit nos a caritate Dei. Utraque autem caritas Dei cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Spiritum enim sanctum, qui est amor Patris et Filii dari nobis, est nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus sanctus. A qua quidem participatione efficimur Dei amatores. Et hoc quod ipsum amamus, signum est, quod ipse nos amet... Dicitur autem caritas, qua nos diligit in cordibus nostris diffusa esse, quia est in cordibus nostris patenter ostensa per donum sancti Spiritus nobis impressum... Caritas autem, qua nos Deum diligimus dicitur in cordibus nostris diffusa, id est, quia ad omnes mores et actus animae perficiendos se extendit" (14). Ita S. Thomas: in quibus verbis mysterii instar videtur, nunquam gratiam nomine proprio commemorari, cum saepius res ipsa sub oculos ponatur, ac transitus fiat a caritate Dei erga hominem ad caritatem hominis erga Deum, non interiecta gratia gratum faciente quo nihil magis alienum a sententia S. D. circa naturam huiusmodi gratiae; quae est effectus immediatus caritatis Dei erga nos, ac vicissim causa immediata caritatis (virtutis nempe) nostrae erga Deum.

Illud tamen certum existimo, scilicet, in hoc loco aliquando nomine caritatis gratiam principaliter esse intelligendam. Sane cum dicitur, *Utraque caritas Dei cordibus nostris diffunditur*; iuxta sententiam ipsius Aquinatis, caritas primo modo intellecta, seu pro caritate qua diligit nos Deus, manifestissime ipsa in nobis est atque propriissime gratia sanctificans.

d) Ac quo melius appareat haec necessitas recte interpretandi dictionem Angelici hac in re, ut eum sibi cohaerere demonstramus, iuvat non nihil adhuc ipsius Commentarii adiungere, in quo de gratia sit sermo.

a) Primo igitur ad verba Pauli (Rom. 6, 23), *Gratia autem Dei vita aeterna in Christo I. D. N.*, ait: "Quia enim dixerat (Paulus) iustos homines habere vitam aeternam, quam certum est non posse haberi nisi per gratiam; ideo hoc ipsum quod bona operamur, et quod opus nostrum est dignum

(14) Unde cum implicite R. P. Keller (l. c. n. 22) sententiam Pauli refert, haudquam doctrinam S. D. in hac interpretatione plene sequitur. Ait enim cl. P.: "Unde Deus, cum vocando nos in societatem illam divinam plantavit in nobis amicitiae divinae fundamentum, fidelis est etiam qui per Spiritum Sanctum amicitiam ipsam, i. e. caritatem, in corda nostra diffundat." In verbis modo allatis S. D. manifestissime non nuda caritas creata intelligitur diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum; in verbis autem cl. P. contrarium supponitur, ut patet, scilicet, non agi nisi de sola caritate creata. Longe vicinior est interpretationi S. D. explicatio quam praebet Suarez sententiae Pauli (Rom. 5, 5) ne ex ipsa arguatur identitas inter gratiam et caritatem. En praecipua verba ipsius. "Secundum testimoniam, ait, erat illud ad Rom. 5, 5... sed non probat ipsam caritatem esse primam formam (ut sic dicam) per quam Spiritus sanctus habitat in nobis, sed solum probat caritatem infundi per inhabitantem spiritum... Prius ergo (ut nostro more loquamur) per gratiam datus est, et tunc in cordibus infundit caritatem. Alii de caritate increata locum exponunt, quae dicitur diffundi in nobis, quando ipsum Spiritum sanctum donat nobis per illud donum, quo nos caros, amicos ac gratos sibi facit." Ecce tibi sententiam S. D. liquido explicatam (l. c. de Grat. c. 13).

vita aeterna est a gratia Dei. Unde et in Ps. 83 dicitur, *Gratiam et gloriam dabit Dominus*. Sic igitur opera nostra si considerentur in sui natura et secundum quod procedunt ex libero arbitrio hominis non merentur ex condigno vitam aeternam, sed solum secundum quod procedunt ex gratia Spiritus sancti. Unde dicitur, Ioan. 4, *Quod fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*. Et hoc fit in Christo Iesu Domino nostro, id est, per Christum, sed in quantum in ipso sumus per fidem et caritatem." Placuit extente locum integrum referre usque ad illam vocem, nempe, caritatem, ut vel ipso sono vocis tandem percepto, ad alteram vocem, nempe, gratiam, magis feratur attentio; atque animadvertatur ipsam dictionem gratiae, quam e locis simillimis exsulare vidimus, hic iure meritoque saepius repetitam praecipuum locum obtinere prae caritate.

β) Illud etiam valde nobis notandum est, quod si ad vivum res volumus resecare, in *Lect. I* in c. 13, *epist. I ad Cor.* duplicem inveniemus ac quasi ancipitem usum eiusdem vocis caritatis, nimirum, tum ut a gratia distinguitur, tum etiam ut ipsam gratiam multimode indicat ac quodammodo imbibit. De caritate ut a gratia distincta, eamque in sua ratione formali non complectente, haec intelligimus ibi dicta: "Caritatem autem non habuero, per quam perficitur voluntas." Ast immediate post iam indefinite caritas commemoratur; indefinite, inquam, quia proprie et sub ratione formali utriusque, et gratiam et caritatem vox ipsa complectitur.

En verba quae proxime allata consequuntur: "*Nihil sum, scilicet secundum esse gratiae, de quo dicitur Eph. 2, Ipsius sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis*. Unde et contra quemdam dicitur, Ez. 28, *Nihil factus es, et non eris in perpetuum*. Quod quidem fit propter defectum caritatis, per quam homo bene utitur intellectu perfecto. Sine caritate autem eius usus bonus non est." Quae quidem etiam melius de gratia quam de caritate intelligentur dicta, ut facile consideranti patebit.

Hoc ipsum iterum ac saepius in eadem Lectione compertum est, ut cum dicitur: "Anima per caritatem vivit, quae vivit Deo, qui est animae vita secundum illud Deut. 30, *Ipse est vita tua*." Nonne potiore, immo potissima ratione id ipsum de gratia gratum faciente in sententia S. D. diceretur? Quod etiam magis notatu dignum esse existimo cum perspexerim Angelicum coram oculis habere distinctionem illam, tam sibi caram, inter caritatem et gratiam. Dixerat enim initio Lectionis: "Hic agit (Apostolus) de caritate quae inseparabiliter concomitatur gratiam gratum facientem."

Loca autem huiusmodi facile multiplicantur, sed exemplis sit satis, atque ad alia progrediamur ad quae nostrum propositum revocat.

B. LOCA DE CARITATE

Igitur ad ea venio in quibus S. Thomas de Caritate agere profitetur, ut etiam ex ipsis innotescat nos tanto D. non adversari, sed eius vestigia ingredi cum rationem formalem amicitiae Dei in iusto non tantum in caritate sed in gratia etiam sanctificante reponendam esse affirmamus.

Inter innumera autem quae de caritate dixit optimus auctor, tria sunt ad rem quod attinet loca praecipua, quae iam perpendere incipio. 1) In l. 3 *Sent. dist. 27, q. 2*; 2) *Quaestio unica de Caritate*; 3) *S. Theol. 2. 2, q. 23*.

1) *Afferuntur ea quae ad rem maxime pertinent ex l. 3 Sent. dist. 27, q. 2.*

a) In primo articulo huius quaestionis naturam caritatis investigat S. D., atque ex analysi humanae amicitiae ad hanc consecutionem ascendit: "Sic ergo patet, ait, quod amicitia est perfectissimum inter ea quae ad amorem pertinent omnia praedicta includens; unde in genere huiusmodi ponenda est caritas, quae est quaedam amicitia hominis ad Deum, per quam homo Deum diligit, et Deus hominem; et sic efficitur quaedam associatio hominis ad Deum ut 1 Ioan. 1..." Hucusque S. D., cui libentissime assentior; nec tamen sono verborum contentus, sensum ipsorum potissimum attendo, quem parumper explico.

Atque in primis, illam sententiam mente revolve: "*Et sic efficitur quaedam associatio hominis ad Deum.*" Quam vim habet apud S. D. istud *sic*? Vultne tantum dicere, est in Deo actus dilectionis erga hominem, accidit ut eodem tempore etiam fuerit in homine actus dilectionis erga Deum, *et sic*, facta est praedicta associatio? An nexus associationis de quo hic est sermo, quique procul dubio pertinet ad rationem formalem amicitiae Dei, alius intelligi potest hoc in loco praeter gratiam sanctificantem? Quid nisi gratia in homine existens connectit eius caritatem cum caritate Dei? Aut undenam caritas quae in iusto est vim suam integram mutuatur ut grata Deo existat, vel ut in ordine supernaturali intelligatur hominem Deo coniungere, nisi ab ipsa gratia?

Praeterea, eodem prorsus obvio sensu interpretor verba quae his praecedunt, ut facile supponi potest. Dicit S. D.: *In genere huiusmodi* (amoris scilicet) *ponenda est caritas, quae est quaedam amicitia hominis ad Deum, per quam homo Deum diligit et Deus hominem.* Iam vero, nisi voluntarie contendamus sententiam S. D. ad nuda verba iuxta sonitum vocum contrahere, supposita doctrina auctoris circa gratiam gratum facientem, nullam vim verbis inferentes, ita possumus hunc locum evolvere, quin ulla in re a mente S. D. desciscamus.

Profecto, *Caritas*, si ipsam inspicimus, ut in Deo simul atque in homine existit, *est quaedam amicitia hominis ad Deum, per quam scilicet homo Deum diligit, et Deus hominem*. Attamen vel ob haec ipsa verba S. D. cum quaeritur ad mentem ipsius, quid est in homine amicitia eius erga Deum, non recte respondebo, est tantum *eius* caritas erga ipsum Deum.

Quod ita evidenter demonstro. Nam in illo complexu caritatis, *per quam homo Deum diligit et Deus hominem*, ad mentem S. D. includuntur tria, videlicet, caritas in Deo; id quod immediate consequitur caritatem Dei in homine a Deo dilecto, quod est gratia; et caritas in homine erga Deum. Ex his tribus ibi contentis, duo reperiuntur in homine, ut est manifestum; et quamvis gratiae non fiat expressa mentio in illa formula, *Caritas est quaedam amicitia hominis ad Deum*, quia vero gratia includitur in caritate Dei erga hominem; cum praeterea gratia magis immediate quam caritas in homine respondeat caritati quae in Deo est erga hominem eamque sibi vindicet; atque ipsa gratia sit radix necessaria caritatis quae in homine est, manifeste primas obtinet per se atque immediate in ipsa ratione formali amicitiae homini ad Deum, *per quam scilicet homo Deum diligit, et Deus hominem*.

Verumtanem nihil detrahendo perspicuitati huius ratiocinationis, fateor non nihil mysterii esse in omissione vocis gratiae, in modo loquendi S. D. in hoc et multis aliis similibus locis, in quibus tacite quaestio de distinctione inter gratiam et caritatem attingitur, idque etiam independentem a praesenti disputatione animadverti necesse est.

In quibus non a vero aberrabit qui asserat, S. D. ea quae ad virtutem caritatis exspectant generalissimo modo tradere, atque ut vera etiam sunt in sententia affirmante identitatem inter gratiam et caritatem. Ex quo fit ut nomen ipsum gratiae saepenumero taceat, ne disputare videatur contra sententiam tunc temporis communiorem, quae gratiam a caritate re ipsa non distinguebat. Quod etiam nunc repeto, iam antea dictum, propter ipsum modum quo nobis hic occurrit sententia illa, nempe, *Caritas, quae est quaedam amicitia hominis ad Deum*. Haec enim propositio, non ut demonstrata, sed potius ut passim admissa assumpta videtur.

Ac ne quis existimet ab aliqua tantum vocula vel sententia casu prolata duci me ad hoc iudicium ferendum, alia praeterea ipsius articuli commemoro, ut ipse totus appareat et sibi cohaerere et a me dictis. Nam ibi in responsione ad plures difficultates S. Thomas id ipsum haud obscure subindicat, agi nempe de caritate illo modo, seu ut gratiam etiam sub propria ratione complectitur.

Vide, exempli causa, responsionem ad nonam difficultatem; qua in responsione ita loquitur S. D.: "In quantum homines per caritatem deiformes efficiuntur, sic sunt supra homines, et eorum conversatio in caelis est, et sic cum Deo et angelis eius conveniunt in quantum ad similia se extendunt, secundum quod Dominus docet: "*Estote perfecti sicut et pater vester perfectus*

est”; quae porro magis formam caritatis, quae est gratia, expectant, quam caritatem ut a gratia distinguitur. Ac citra omnem dubitationem est, in sententia S. D. longe verius ac propius dici homines per gratiam deiformes fieri, quam per propriam rationem virtutis caritatis, licet in sensu iam explicato rectissime etiam id ipsum dicatur a S. D.

Simili ratione arguendum puto in responsione ad septimum, cum tam pulchre respondet: “Caritas est amicitia, sed aliquid addit supra ipsam, scilicet determinationem amici; quia est amicitia ad Deum, quae omnibus pretiosior est et carior.” Quae verba S. D. in hunc modum interpretari possumus ac debemus. Profecto, verum est caritatem non esse ut amicitia inter homines esse solet, quae fere actu vel habitu amoris benevolentiae constituitur. Etenim supra actum vel habitum ipsius virtutis amandi addit determinationem amici, quae determinatio est a gratia ut a forma; quia habitus amandi Deum a gratia habet ut ad Deum tanquam ad amicum feratur.

b) Iterum et saepius in articulo secundo eiusdem quaestionis evincitur esse necessariam eiusmodi interpretationem vocis caritatis; ita ut negari nullatenus possit S. Thomam in hoc loco nomine caritatis, et ipsam virtutem, et gratiam sanctificantem sub propria ratione formali simul complecti.

Nam S. D. in hoc articulo ita probat dari virtutem specialem, quae sit amicitia Dei, ut de hac virtute affirmet illud ipsum quo gratia sanctificans distinguitur a virtute speciali caritatis. Quod ita facile probo.

a) In corpore huius articuli legimus: “Haec autem communicatio divinae vitae facultatem naturae excedit, sicut et felicitas ad quam ordinatur; et ideo oportet quod per aliquod bonum superadditum natura in hoc perficiatur; et haec est ratio virtutis.” Hactenus S. Thomas. Atque ut verum fatear, dum venio ad hanc ultimam vocem, nempe virtutis, mendum esse putarem, nisi intentio totius articuli hanc postularet. Nec tamen possumus dubitare quin sensus planior esset dicere: Et haec est ratio gratiae, nimirum ordinare et perficere naturam ad communicationem vitae divinae.

β) Clarius si fieri potest id redditur ex integra responsione ad primam difficultatem, ubi sic ait S. D.: “Amicitia de qua Philosophus tractat, causatur vel ex inclinatione naturae, quantum ad amicitiam delectabilis et utilis: vel ex inclinatione habitus virtuosi praesupposita inclinatione naturae, quantum ad amicitiam honesti, in quantum omne quod facit similitudinem cum aliquo inclinatur ad amorem illius, et ideo non ponitur aliqua virtus, sed quiddam consequens ad virtutes: sed amicitia quam habemus ad Deum non potest habere aliquod huiusmodi fundamentum cum naturae metas excedat; et ideo oportet quod per speciale donum in dictam amicitiam elevemur; et hoc donum dicimus virtutem.” In quibus verbis, ad rem nostram quod attinet, virtutem esse totam rationem formalem elevationis naturae apparet; ac proinde, nisi ad-

mittamus vocem ipsam virtutis seu caritatis etiam gratiam hic complecti, gratia ipsa disparat in proprio munere naturam ad Deum elevandi; quo nihil magis contrarium doctrinae S. D.

γ) Eadem prorsus evidentia apparet usus vocis caritatis ad rationem formalem gratiae complectendam simul cum virtute, in responsione ad quartam difficultatem. Equidem fateor inter legendum hunc locum postquam id animadverti, timuisse me, dum hoc ipsum scribo, fore ut invenirem vocem gratiae ubi manifeste in rigore esse debebat. Legatur integra paragraphus, neque aliud quidquam erit opus, ut cuilibet res clarescat. Dicit enim S. D.: “Similiter amor ex similitudine causatur; unde naturaliter diligitur summum bonum super omnia, in quantum habemus similitudinem ad ipsum per bona naturalia.”

Post haec, quis non expectaret S. Thomam, ut gradum faceret ad loquendum de virtute caritatis, aliquod verbum prolaturum de gratia gratum faciente, vel ipsius gratiae aliquo modo saltem implicite mentionem facturum, cum ipsa gratia quasi medium locum obtineat inter illam similitudinem naturalem et caritatem proprie dictam, cum sit radix ipsius caritatis ac velut transitus vel via a natura ad caritatem virtutem specialem? Sed frustra id quaeres. Hac una voce totum absolvitur, videlicet, caritate, quae est virtus. En quae sequuntur: “Sed quia natura non potest pervenire ad operationes eius (summi boni), quae sunt vita sua, et beatitudo, scilicet visio divinae essentiae; ideo etiam ad amicitiam non pertingit, quae facit amicos convenire, et in omnibus communicare; et ideo oportet superaddi caritatem per quam amicitiam ad Deum habeamus, et ipsum amemus, et desideremus assimilari ei per participationem spiritualium donorum, ut participabilem per gloriam ab amicis suis.” Qua in re quod certe iuxta S. D. prius superadditur naturae ad vincendam incapacitatem ipsius non est caritas sed gratia, quae est participatio divinae naturae. Ergo propriissime in illa conclusione, “Et ideo oportet superaddi caritatem”, intelligimus: “Et ideo oportet superaddi gratiam et caritatem.” Ergo agnoscendum est S. D. consulto hic vitare nomen gratiae, forsitan ne disputationem illam intrudat in re clara; in qua tamen pro diversitate sententiarum alia atque alia subintelligenda erunt.

Sed ad alia properemus, ne videamur tantum inniti in Commentariis ad Magistrum Sententiarum.

2) *Indicia ex Quaestione unica de Caritate desumpta*

a) Itaque ab initio huius quaestionis iam in a. 1, quasi in medullis ipsius nostrae disputationis versari videmur. Nam in corpore ipsius articuli ut probet S. D. caritatem esse rem creatam, rationem affert qua innixus alias probare

solet gratiam existere; illam nempe gratiam gratum facientem, quam recte alibi tenet aliud esse a caritate. Utrumque igitur hic attingitur, ita tamen ut veluti ex conducto S. Thomas nunc gratiam a caritate distinctam commemorare devitet. Ac mirum sane videtur haud mentionem ipsius facere, dum haec ait: "Nec tamen per hoc (per existentiam scilicet caritatis creatae in anima) excluditur quin Spiritus Sanctus, qui est caritas increata, sit in homine caritatem creatam habente, movens animam ad actum dilectionis, sicut Deus movet omnia ad suas actiones, ad quas tamen inclinantur ex propriis formis. Et inde est, quod omnia disponit suaviter, quia omnibus dat formas et virtutes inclinantes in id, ad quod ipse movet, ut in illud tendant non coacte, sed quasi sponte."

Porro non nisi nomine caritatis in hac explicatione S. D. gratia significatur. Nam praesentia illa Spiritus Sancti qua alias gratia exprimeretur, nullo modo hic rem aliquam creatam subindicat. Nam praesentia nihil est aliud in hoc loco nisi quod Spiritus Sanctus movet animam ad actum dilectionis, quemadmodum Deus movet omnia ad proprias actiones. Quae motio etiamsi sumatur in creatura, seu ut est effectus illius praesentiae, scilicet in casu nostro, actus dilectionis, certe non est ipsa gratia gratum faciens.

Sunt praeterea alia momenta rationum ex eodem articulo facile colligenda, ut undequaque appareat S. D. in hac quaestione sub nomine virtutis caritatis etiam atque etiam rationem ipsam formalem seu essentiam gratiae gratum facientis comprehendere.

Profecto, ad 10, ait: "Caritas coniungit bono infinito, non effective sed formaliter", quod rectissime affirmare de gratia praecipue intelligi.

Rursus, ad 11, adhuc difficilior agnosceres sermonem esse de propria virtute caritatis et non de gratia. Hoc enim ait S. D.: "Creatura est vanitas in quantum est ex nihilo, non autem in quantum est similitudo Dei." Evidens enim est, hanc similitudinem Dei esse gratiam non autem virtutem caritatis.

Iterum, ad 16, ait: "Per caritatem creatam elevatur anima supra posse naturae, ut perfectius ordinetur ad finem, quam habeat facultas naturae", quod similiter de propria ratione formali gratiae a S. D. tradi diceret.

Adhuc, ad 17, in hunc modum difficultatem solvit: "Licet bonum quod est Deus, inquit, sit praesens in anima per seipsum, tamen requiritur medium formale ad hoc, quod anima perfecte ordinetur in ipsum ex parte animae, non autem ex parte ipsius Dei." Ubi in contextu nemo discipulus S. Thomae si attente ea consideret non videbit ea tribui virtuti caritatis, quae de sententia ipsius praeclari D. multo magis et proprius, immo unice, de gratia sunt dicenda.

Tandem, ad 22, solvit difficultatem ex eo petitam quod caritas debeat esse supra naturam animae; quae sane difficultas in primis adversatur gratiae ac semel iam, quatenus ad gratiam spectat, soluta, nulla superest contra caritatem. Attamen S. D. perinde ac si nihil de existentia gratiae a virtute caritatis

distinctae defenderet, solutionem ita praebet, ut virtutem caritatis ipsam animae essentiam immediate afficere diceret.

b) In articulo 2 eiusdem quaestionis directe rem aggreditur S. D. de amicitia Dei per caritatem. Sed notandum, statim inde arguere caritatem esse virtutem, quia caritas est amicitia. Quae argumentatio rectissime concipitur, si munus etiam gratiae gratum facientis ipsi caritati tribuitur. Tunc enim caritas et gratiam significat et virtutem. Ut autem est gratia, gratum nimirum et carum Deo faciens, exigit virtutem amandi Deum amore amicitiae. Recta igitur est conclusio.

Porro argumentatio in corpore articuli ad hos terminos reduci videtur: Est amicitia hominis ad Deum; oportet ergo ut sit etiam in homine amor amicitiae erga Deum ex propria virtute dimanans.

Ut autem sub hac luce articulum intuear atque interpreter, multum me movet difficultas octava ab auctore proposita cum eius solutione. Difficultas sic se habet: "Caritas est quaedam amicitia hominis ad Deum; sed amicitia hominis ad hominem non numeratur a philosophis inter virtutes politicas: ergo nec caritas Dei debet numerari inter virtutes theologicas."

Ad hanc difficultatem solvendam admittit S. D. verum esse in amicitia naturali non dari virtutem specialem amicitiae, propterea quod recta ordinatio naturae per proprias naturales virtutes sufficiat ad perfectam rationem amicitiae inter homines constituendam.

"Sed amicitia, subiungit S. D., quae est ad Deum, in quantum est beatus et beatitudinis auctor oportet praestitui ad virtutes, quae in illam beatitudinem ordinant." Itaque ratio distinctionis est defectus naturae, quae non est de se ordinata ad divinam beatitudinem; hic autem defectus tollitur per gratiam, quae est quasi nova natura, quae exigit illas virtutes, quae in illam beatitudinem ordinant. Est igitur ipsa gratia fundamentum proximum ipsius amicitiae.

3) *Argumenta ex Summa Theologica*, 2, 2, q. 23

Sed accedamus tandem ad locum principem, unde solet, ut ab initio vidimus, sententia illa depromi, quae ait, *Caritas amicitia quaedam est hominis ad Deum*; ut sententiam quidem accipiamus, eius autem sensum recte explicemus. Equidem ad locum venio non eo ductus animo ut difficultates quae hinc torte oriri possent artificioso modo eludam, sed ut inde quoque interpretatio doctrinae S. Thomae, quam hucusque defendi, magis magisque confirmetur, et solidior esse demonstretur.

Itaque ostendam in hoc veluti culmine sublimis investigationis S. D. circa caritatem, in ipso articulo in quo docet caritatem esse hominis ad Deum amici-

tiam, hac voce caritatis designari etiam rationem formalem seu essentiam gratiae sanctificantis, et non solum virtutem caritatis.

a) Quomodo autem id accadat ita declaro.

In primis iam haec interpretatio in commentario Cardinalis Caietani quodammodo innuitur. Nam posteaquam dixit Commentator agi de habitu amoris talis, adiungit: "Importat autem *ly* talis ut in littera patet tres condiciones: scilicet benevolentiam, redamationem et communicationem." Quae ita intelligenda esse videntur ut haec tria, quamvis conditiones improprie vocentur, vere divinam amicitiam constituent quam exponit S. Thomas. De illa vero communicatione, gratiam esse affirmat Cardinalis his quidem verbis: "Et adhuc si adiunxeris quod communicatio ista consistit in supernaturali consortio divinae naturae, habebitur ratio divinae amicitiae." Haec quidem Caietanus.

Fateor tamen Commentatorem statim evertere id quod astruere et profiteri his verbis videbatur. "Et vere sic est, ait, caritas enim amicitia non quaecumque, sed divina est, consequens communicationem naturae divinae in creatura rationali, per quam divinae beatitudinis participes sumus hic in spe et in patria in re." Evertit, inquam, quod astruebat si verba illa, *consequens communicationem*, etc., sumuntur, ut in Caietano sumenda videntur, in sensu strictiori, ita ut tota ratio formalis amicitiae intelligatur esse posterior gratia sanctificante seu illa communicatione.

At vero ad mentem S. D. sensus esse debet amicitiam esse caritatem complectentem illam communicationem naturae divinae, ita quidem ut ipsa communicatio sit undequaque ratio potissima et magis essentialis ipsius amicitiae. Quod verbis ipsis S. D. declaro: "Sed nec benevolentia sufficit, ait, ad rationem amicitiae, sed requiritur quaedam mutua amatio; quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione." Nam hac tam perspicua ratione posita, huc tandem tota volvitur quaestio, utrum scilicet fundamentum huius mutuae benevolentiae seu communicatio sit intrinseca ipsi amicitiae, necne. Quod autem iuxta Aquinatem sit intrinseca ipsi amicitiae de qua est sermo, patet ex ipsis verbis: "Amicus est amico amicus." Quia hac sententia fulti, rectissime possumus inspicere nostram amicitiam ad Deum, incipiendo ab amicitia Dei erga nos.

Et sane, qui primus est in hac amicitia ad eam vincendam seu conciliandam, primus nempe amicus, et natura et tempore, omnique prorsus sensu, Deus est, qui dum illa benevolentia propria caritatis hominem amat, ipsum sibi gratum efficit per hanc communicationem, de qua proponitur quaestio utrum constituat necne divinam amicitiam hominis ad Deum. Sed sub hac luce proposita quaestione mirum etiam est quemquam circa illam dubitare potuisse, cum tam evidens sit illam communicationem amicum quatenus ta-

lem constituere, ac est evidens ipsam amicitiam esse in Deo eius erga hominem benevolentiae amorem.

Itaque si abstrahimus a caritate creata et increata, et asserimus, amicitia hominis ad Deum est caritas, simul et caritatem hominis ad Deum intelligentes et caritatem Dei ad hominem, tunc propositio integram amicitiam inter Deum et hominem existentem complectitur, tam ex parte Dei quam ex parte hominis.

At si in hac sententia, amicitia hominis ad Deum est caritas, nudam virtutem caritatis quae in homine est intelligimus, tunc neque ut existit in homine hanc amicitiam definimus. Quod per illam sententiam S. Thomae, Amicus est amico amicus, clare demonstro. Agimus enim de amico qui est Deo amicus; atqui non proprie denominatur homo Deo amicus dum non intelligitur amari a Deo, intelligitur autem amari a Deo propria ratione formali gratiae sanctificantis; ergo nuda virtute caritatis non intelligitur, iuxta S. Thomam, amicitia hominis ad Deum, ne in homine quidem.

b) Sed praeter articulum I huius primae quaestionis de Caritate, secundus etiam nobis est index illius facillimi transitus quo S. Thomas saepe uno verbo caritatis etiam rationem formalem gratiae sanctificantis comprehendebat, perinde ac si gratiam et caritatem unum idemque esse concederet vel potius casu aliquo quaestionem transmitteret. Hic enim in responsione, ad 2, ait: "Deus est vita effective et animae per caritatem et corporis per animam; sed formaliter caritas est vita animae, sicut et anima corporis. Unde per hoc potest concludi quod, sicut anima immediate unitur corpori, ita caritas animae." In quibus paucis sententiis ter vocem ipsam caritatis invenis, ubi iure meritoque, secundum proprias sententias ac quasi dogmata magni Aquinatis gratiam intelligere oportet.

Eandem, ut ita dicam, inversionem in usu harum vocum, gratiae nempe et caritatis, invenio manifestissimam in fine ipsius articuli in responsione, ad 3, ubi incipit: "Caritas operatur formaliter", quod iam comprehendere nequis si vocem ipsam caritatis ad solam virtutem significandam adhiberi existimas. Sed evidentius adhuc nostram explicationem quae sequuntur necessario exigunt. Haec enim sunt: "Sed quia facit (caritas nempe) effectum infinitum, cum coniungit animam Deo, *iustificando ipsam*, hoc demonstrat infinitatem virtutis divinae, quae est caritatis auctor." Ita sane S. Thomas. Verumtamen quam facile possent multiplicari sententiae ipsius Angelici quae his essent contrariae, nisi hic legamus, vel intelligamus, gratiam, ubi est caritas! Ad propositum autem nostrum, quod certe non est incusare sed recte interpretari mentem S. D. non nimis haerendo verbis, sufficit memoriam revocare q. 113 primae secundae partis, quam ita aggreditur S. D.: "Deinde considerandum est, ait, de effectibus gratiae; et *primo de iustificatione impii quae*

est effectus gratiae operantis; secundo de merito, quod est effectus gratiae cooperantis." Ac de hoc articulo satis.

c) Sed rursus in a. 3 in responsione, ad 1, ea invenio quae quasi manu ducunt ad eiusmodi largiorem interpretationem vocis caritatis. Etenim ait S. D.: "Nec est simile de caritate, quae non fundatur principaliter super virtutem humanam sed super bonitatem divinam." Horum autem sensus verborum iuxta difficultatem propositam hic esse videtur: Nec est simile de amicitia nostra cum Deo, quae non fundatur principaliter super virtutem hominis qui est Dei amicus, sed super bonitatem divinam. Ergo neque consistit praecipue in virtute aliqua ipsius hominis, sed in gratia quae facit hominem Deo gratum, seu carum et amicum.

Sed taedet iam in re facili, ac plus quam sufficienter demonstrata, argumenta multiplicare.

CONCLUSIO

Ex omnibus auctoritatibus Angelici D. quas amore ipsius ducti hucusque sponte multiplicavimus, ac distincte conghessimus, haec duo manifestissime consequuntur. Primo et principaliter, si stare velimus cum S. D., tenere debemus gratiam proprie pertinere ad fundamentum proximum amicitiae divinae. Secundo, ita gratiam ad hanc amicitiam pertinere ut vere ipsam constituat si adequate eam complectimur iuxta doctrinam S. D. Non igitur opus est, ut ipsum S. D. strictissime sequamur, ut virtutem caritatis in homine per adequatam amicitiam hominis ad Deum definiamus; immo vero, id facere et contra pleniorem doctrinam S. D. esse videtur, et contra veritatem (15).

ALOISIUS TEIXIDOR, S. I.

(15) Qui contrariam sententiam cum cl. P. Keller (l. c.) sustinent, plane confitentur S. Thomam non praebuisse conceptum caritatis iuxta definitionem usitatam. Unde hoc dubium proponere ac solvere utcumque debet cl. P. (l. c. n. 40): "Quid ergo censi debet circa definitionem usitatam? Nemo eam reicere audebit, cum sit longo plurimorum usu quasi consecrata. Et praeterea cum sit formata iuxta normam "mandati magni in lege"... Nihilominus si eam dogmaticè examinas, non videtur completa." Hactenus R. P. Keller. Ecce consecrarium haud gratum illius expositionis, iuxta quam gratia non constituit proximum fundamentum amicitiae Dei. Ego vero cum iis qui in dissertatione saepius commemorata dicuntur minus stricte adhaerere Angelico (Alii, inquit cl. auctor ibi n. 35, ut Suarez et omnes fere moderni auctores qui Angelico non ita stricte adhaerent) sine ulla dubitatione arbitror longe meliorem rationem esse sequendi S. Thomam, eum non adversarium facere sententiae *longo plurimorum usu quasi consecratae*, quam ex sono unius vocis rem ad has angustias reducere.